



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Fragmenta Qvaedam Aliarvm Epistolarvm Ioannis Papae VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

tus sancti a. senserit, finxit hanc epistolam sub nomine Ioannis papæ VIII. ad se Photium scriptam, de processione Spiritus sancti: quam vel ab ipso Photio, vel alio quodam effictam esse oportet. His enim temporibus in Romana ecclesia absque aliqua ambiguitate vsu receptum fuisse, vt Spiritus sanctus a Patre Filioque procedere diceretur, post alias ea imprimis ratione manifeste probatur, quod Ioannes sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus scribens ad hunc ipsum Ioannem pontificem quatuor a se elaboratos libros vitæ sancti Gregorii papæ, vbi agit de dialogis ab eo scriptis, & in Græcum a Zacharia papa translatis, iuste queritur, quod cum ipse sanctus Gregorius in eis asseruerit disertis verbis, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, illi textum corruerint, illaque verba *Filioque* abradendo inde abstulerint; illos magnopere redarguens, quod audacter nimis sicut & impudenter sancti Gregorii textum ita corruerint: plane significans Romanam ecclesiam nihil diuersum ab ipso sancto Gregorio sentire, nec Ioannem, ad quem scribit, ab ea sententia discrepare. Vide quæ dicam infra in notis Conciliabuli pseudooctau, verbo *Conciliabulum*.

### FRAGMENTA QVÆDAM ALIARVM EPISTOLARVM IOANNIS PAPÆ VIII.

Quod sacerdos homicida non potest in sacerdotio manere.

*Cennemoco episcopo Venetensi.*

dist. so. Mi-  
ror minus. **M**IROR minus doctam scientiam tuam sacerdotem putare post perpetratum homicidium posse in sacerdotio ministrare: imo, quod est peius, nobis suadere velle, vt ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens, tamque peruersi sensus, tale quid existimaret, vel post quantamcumque poenitentiam concedendum, cum omni sit canonicae disciplinæ contrarium? Debet ergo sacerdotio priuatus lacrymarum fonte flagitium tam immane diluere: vt talibus fâltem remediis curatus, salutis possit inuenire suffragium.

Communione priuetur sponsa, nisi raptorem deferere,  
& ad sponsum suum redire voluerit.

*Rofagno archiepiscopo Arelatensi.*

27.Q.2.  
Atho præ-  
fentium. Atho præsentium lator, dum in nostro seruitio fideliter

excubaret, quemdam virum feminam sibi desponsatam queritur rapuisse. Et ideo fraternitas tua, auctoritate nostra suffulta, suffraganeos suos episcopos praesentialiter conuocet: sicutque vnamini sententia, si sponsam huic raptor non reddiderit, tam idem, quam rapta, si ad sponsum pristinum remeare noluerit, omni communione priuentur.

De examinanda causa cuiusdam presbyteri.

*Sigibodo archiepiscopo Narbonensi.*

Præsentium literarum gerulus, sedi apostolicæ præsens-  
tatus, se presbyterum esse querula & lamentabili voce  
perhibuit, & a sanctitati tua subiectæ dioceseos episcopis  
ab officio presbyteratus suspensem, & aliis quibusdam epi-  
tomiis usque ad speciale iudicium nostrum submissum, pro  
eo quod, inquit, facto tumultu, quidam se apprehensum,  
& a terra brachiis subleuatum, in proprium fratrem forti-  
ia cœtuauerit impetu, ut idem germanus suus tanti\* operis ma-  
le impulsus in terram ruerit, & prostratus atque oppressus  
vitæ flatum violenter amiserit. Denique illi reuerendi an-  
tistites, cum sibi, ut iste retulit, res in dubium veniret,  
vtrum commisso sibi dudum carere, nec ne, penitus de-  
buisset officio, non ipsi hanc deliberare, sed nostro decerni  
& diffiniri iudicio voluerunt. Sed tunc hoc solenniter age-  
rent, si primum ipsi plenario, & ex Canonibus in causa  
presbyteri delegato iudicio, quatuor deputatis ex vene-  
randis decretis & legibus personis præsentibus, hanc ven-  
tilassent, & subili examine discussissent: ut ita facta scri-  
pto relatione, si quid dubium sibi seu difficile ingessisse vi-  
deretur, nostrum super hoc more prisco decretum expo-  
sicerent. At ubi nobis & persona relatoris incognita, & nul-  
lo episcoporum scripto commendatio approbata est, &  
rurus ubi nulla est accusatoris obiectio, nec accusati rea-  
tus confessio, nec fidelium comprobatio testium, nos nec  
illius solius narrationi creduli esse possumus, nec rurus in  
eum definitiuam damnationis sententiam proferre vale-  
mus. Ergo saltem nunc fraternitas tua metropolitani iure  
potita, ex episcopis sub se degentium vel vicinorum sex,  
una cum episcopo, cuius est iste parœciæ, sibi socians, tan-  
tum negotium subili ventilat discussionis ventilabro, &

Iux. part.  
10. cap. 16.

384 IOANNIS PAPÆ VIII. EPISTOLÆ.

inuenio quod iustum est canonice decernat, & communis  
fratrum censura diffiniat.

Pallium , nisi post consuetam fidei professionem,  
dari non debet.

*Vviliberto Coloniensi archiepiscopo.*

Diss. 100.  
cap. Opta-  
tum.

Optatum tibi pallium nunc conferre nequiuimus, quia  
fidei tuae paginam minus , quam oporteat, continere repe-  
rimus : cum videlicet in ea nullam sanctorum vniuersalium  
Synodorum , in quibus fidei nostræ symbolum contine-  
tur, nec decretalium pontificum Romanorum constituta-  
torum, secundum morem , feceris mentionem : sed nec il-  
lam propria subscriptione munieris , nec aliquem qui hanc  
iureiurando firmaret miseris.

CONSTITVTIO IOANNIS PAPÆ VIII.

*De iure Cardinalium.*

Itemque ex nostra præsenti constitutione bis in mense  
vel eo amplius , vel apud illum vel illum titulum , siue  
apud illam vel illam diaconiam , siue apud alias quaslibet  
ecclesiæ vos conuenire mandamus. Et ob vestram & infe-  
riorum clericorum vitam, & mores, & qualitates, & habi-  
tus vestium perscrutandum, & qualiter quilibet præpositi  
se erga subditos habeant , vel quod subditi suis præpositis  
non obediant , & ad quæque illicita amputanda , clericor-  
um quoque & laicorum querimonias , quæ ad nostrum  
iudicium pertinent , quantum fieri potest , definiendas.  
Quippe cum sicut nostram mansuetudinem Moysi , ita &  
vestram fraternitatem septuaginta seniorum , qui sub eodem  
causarum negotia diiudicabant , vicissitudinem gere-  
re , certum habeamus. Item monasteria abbatibus viduata  
& abbatum , nostra præcedente conscientia , substitutio-  
nem his qui sunt inter nos , vel fuerint monasticæ profes-  
sionis , disponenda committimus.

Propter solitudinem autem ecclesiæ & clericor-  
um earumdem disciplinam , siue laicorum querimonias  
definiendas , bis in hebdomada ad sacrosanctum palatium ,  
iuxta decreta prædecessoris nostri Leonis quarti , vos con-  
uenire mandamus.

Item sancimus de parochiis nostris , quantumque pon-  
tifici